DE
SIGNIS GRAVIDITATIS
HAUD RARO FALLACIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXV. MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS SIEBER

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

P. SCHULTE, MED. ET CHIR. DR.
F. GUERCKE, MED. ET CHIR. DR.
F. FROELICH, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

Non fingendum, aut excogitandum, sed inveniendum, quid natura faciat aut ferat. **Baco Verulam.**

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Ne in malam partem accipias, Lector benevole, quod manu audaci velum detegere audeam, quo et natura et homines cum alto silentio et jucunda pudicitia res maximi momenti obtexerunt. Penetrare in has tenebras mysteriorum plenas — imo jam penetrandi conamen — implet animum summa petentem vi hilari et efficit, ut pro momento certe rei propositae difficultatem obliviscamur. Magnum, me hercle, foret commodum, dummodo pauca ad statum melius perscrutandum addere liceret, cujus a vera cognitione singulorum sanitas, familiarum salus, civitatum sors saepissime pendet. Ut enim una parte graviditate non bene cognita vita foetus in periculum datur, ita altera parte graviditate perperam credita, dum remedia, quae contra malum mentiens graviditatis symptomata sunt indicata, negliguntur, vita matris periclitatur. Profecto est campus, in quo et sagacitas animi, et prudentia rerum humanarum et experientia medicinae inter se contenderè debent, nec non salus hominum ac res maximae, cum artis medicorum tum scientiae jurisconsultorum, sibi occurrunt.

Si igitur, Benevole Lector, in sequentibus multa invenies adnotanda, pensites velim, quaestionem esse maximam, vires tenuissimas, nec nisi ardorem problematis magnitudini parem.

Difficultates in cognoscenda graviditate sunt duplices. Oriuntur a natura, quae modo sub specie graviditatis in corpore foeminae multos morbos excolit fovetque, modo multa mala mentitur, ubi nihil adest, nisi sola graviditas; et oriuntur a mulieribus, quae eodem modo, ut natura, graviditatem vel simulant, vel dissimulant. Non raro enim accidit, ut ad mulieres advocemur, quae maximo desiderio flagrantes novum matrimonio addendi vinculum, ad minimam corporis mutationem intentae, se matres foré sibi persuadere student, neque nos fugiunt exempla, quibus puellae tam miserae quam pravae libidinis fructum oculis nostris non solum subducturae, sed etiam sub falso praetextu medicamenta, quae pondere odioso sese liberent, a medico petiturae sunt. Cum tamen judices non simus, nec praecepta dare, quibus ducibus medici fraudem evitare possint, nobis proposuerimus, omittamus difficultates ab hominibus oblatas, et statim eas, quae a natura nobis opponuntur, adeamus. Multum enim interest, ut quam maturrime sciamus, an mulier sit gravida, necne, quia saepe tota victus ratio cum mutata per graviditatem actione omnium fere organorum mutari debet, et morbi praesertim sy-

stematis sexualis, qui, ut jam antea adnotavimus, usque ad errorem graviditatis effigiem imitantur, magna ex parte initio tantum curationi bene institutae cedunt.

Primum igitur referamus, quae phaenomena generalia graviditas prae se ferat. Nullum existit organon, quod non afficiatur, vel affici possit, tota natura hac in periodo alia fit. Itaque morbi chronici, inveterati, imo ipsi organici, interdum vel plane sanantur, vel saltem retardantur. Experientia quotidie nos docet, hysteriam, choream St. Viti, maniam, melancholiam, epilepsiam, baryecoiam, ophthalmias, chlorosin, phthisin, exanthemata varia, multosque alios morbos saepe plane sanatos, saepius certe mitigatos esse. Non difficulter haecce morborum mitigatio sanatioque a nova uteri vita deducendae sunt, sicuti febres, praecipue intermittentes, haud raro morbos inveteratos sanant, et in omnibus vitae periodis, ubi novae corporis evolutiones, ut ita dicam, observantur, morbi chronici saepe tolluntur, sic etiam prima menstruatione.

Numerus graviditatis signorum est permagnus, tamen nullum fere reperitur, quod illam absolute significare possit. Itaque non admirandum est, in nulla medicae disciplinae parte tot errores, tot praejudicia occurrere, quam in arte obstetricia, et medicos ipsos ab Hippocrate *), illo maximo natu-

*) Hippocratis aphorismi, Sectio quinta: aphorismus tricesimus octavus, quadragesimus primus et secundus, quadrag. octav., quinquag. nonus, sexages. sec. et tert. ect. (Versio Grimii.)

rae vate, usque ad hunc diem tot opinionibus falsis capi. Casus illi rarissime nobis obviam veniunt, quibus mulieres statim post coitum exercitum bene norunt, se concepisse, et diem quasi partus futuri indicare possunt. Sunt hi casus rarissimi, et tantopere a natura individui pendentes, ut pro exceptionibus, non pro regula dijudicari debeant. Tamen observati sunt — quamvis medici nonnulli id negent — et ipse casum narraturus sum, quo foemina, plurium infantium mater, post quenquam foecundum coitum in altum incidit somnum, ex quo excitari non potuit. Quo facto optima valetudine fruebatur, donec sub finem graviditatis solita incommoda intrarent. In hoc ergo casu fuit signum certissimum, quod semper apparebat, sed tam singulare, ut mille foeminas disquirere possis, quin unam eodem symptomate conspicuam invenias. Similia multa e diversis auctoribus *) afferre possem, si pro diagnosi graviditatis aliquid commodi haberent.

Jam ab antiquitate usque ad hoc tempus et omnibus temporibus medici profanique operam dederunt, et operam daturi sunt, ut e coitu ipso tutum conceptionis indicium accipiant. Voluptatis sensus, cum in viro, tum in foemina quam maxime et ad ecstasin et ad deliquium animi adauctus, conceptionem indicare fertur. Si perscrutemur dogmata physiologiae de irritatione voluptatis in utroque sexu, inveniemus non eandem esse; oestrus apud viros ad multo majorem gradum adscendere, tum autem subito evanescere, in mulieribus illo ec-

*) Van Swieten. Vid. Commentar. in Boerh. aphorism.

staseos fastigio carere, diutius perseverare et tandem sensim sensimque praeterire solet. Et experientia, illa medicinae mater, nos docet, eas foeminas nullo modo saepissime fieri matres, quae maxime versatili et magna alacritate systematis nervorum gaudeant, sed e contrario, quae temperamento (sit verbo venia) phlegmatico utantur, quae, se nullam fere voluptatem sentire, contendant, et magis amore mariti, quam libidine ducantur. Et sicut casus non desunt, quibus graviditas fuit fructus coitus fastidiosi et per vim exacti, et ubi multae aliae res adversae adfuere, quae omnem amoenitatem auferre debebant, ita interdum summus oestri venerei gradus nullum effectum profert. Causae irritationis saepissime tantum locales sunt, vel status genitalium irritatissimus, vel permagna clitoris, ita ut foeminae ne explorationes quidem obstetricias ferre possint. Itaque hoc signum in genere nihil valet, sed modo aliquid valere potest, si caeteris paribus inter utrumque individuum excitatio fit major, quam antea esse solebat.

Affirmatum quoque est, mulieres post coitum foecundum propensas esse ad crura decussanda, dum irrumpat quaedam virium inanitio, stipata doloribus trahentibus, sensu caloris et plenitudinis in abdomine, levi horrore, originem capiente e regione sacrali, interdum syncope. Quibus omnibus de signis dici potest, conceptionem, si observantur, profecto verisimilem, in multis autem casibus, ut vel unum appareat, necesse non esse, et foeminas tamen concipere potuisse.

Porro multi, praecipue veteres scriptores, magni

momenti esse crediderunt, ut seminis ejaculatio in utroque sexu eodem tempore fieret. Si hic de semine muliebri loquor, in errorem forsan incidere videar. Liquor enim ille, qui in partibus mulierum genitalibus secernitur, nihil aliud revera esse, nisi mucus glandularum, quae in vagina et in utero ipso copiosissimae reperiuntur, neque alium effectum habere videtur, quam ut semen virile diluat, divulget et ad locum destinatum adducat. Nusquam organon invenitur, quod secretum peculiare edere possit, neque in toto naturae orbe apud sexum sequiorem semen adest, i. e. substantia incitans, erigens, animans, sed tantum incitanda, erigenda, animanda, germen. Attamen synchronica commixtio fluidi virilis et muliebris ut bonum mihi arridet signum, quippe quo nuncietur, uno tempore summam utriusque sexus tensionem fuisse, principii igitur irritantis, seminis, et irritandi, germinis. Cum autem evenire quoque possit, ut mulier tantum ex certo viro, e multis aliis viris tamen, qui cum aliis foeminis puellisque concubitum foecundum exercuerunt, non praegnet, certa et mutua et individua quasi irritatione opus esse elucet, et illam commixtionem sexuum eodem tempore non semper signum tutum conceptionis sistere, consequitur. Simul ex his praeceptum illud practicum redundat, ut, si sterilitas e differentia naturarum (temperamenti) oriatur, varia et per catamenia mutata irritabilitate pro coitu utamur. — Prioribus temporibus magni aestimabant, semen non refluere e vagina, sed satis longum tempus *) intus permanere, quamvis videa-

*) Aristoteles, Histor. animal. Lib. VII. cap. III. „Si

mus, si non maximam, magnam tamen partem non retineri. Neque desunt exempla conceptionis sine hymene laeso, et foeminarum, in quibus operatio epiphysioraphiae instituta erat, ubi igitur imperfecta tantum, si qua poterat, immissio penis fiebat; quae exempla nos docent, minimam partem seminis necessariam esse, ut cyma ad vitam provocetur, eadem ratione, ut paucissimo fermento ad fermentationem efficiendam opus est. Quomodo autem semen ad ovulum perveniat, valde adhuc obscurum est, nisi observationes motus ciliaris villorum novissimae novam lucem afferant. Semen tamen non ipsum ovum adire oportere, sed atmosphaeram quasi suam ad impraegnationem jam sufficere, ingeniosissimis Purkinje experimentis refutari videtur.

Non alienum videtur, ut hoc loco sermonem faciam de molis aliisque peregrinis corporibus uteri, e. g. dentibus, crinibus, quia sunt, qui, haec esse imperfectae conceptionis producta, putent. Equidem, quoniam praesertim in vetulis virginibus et iis mulieribus reperiuntur, quae nunquam utero gesserunt, magis esse fructus organi, quod, a natura ad magnam productionis vim destinatum, illam vim per graviditatem exhaurire non potuit, tunc ergo vires procreando producta plastica et quidem irregularia exercet, libentius putaverim.

Si hae fuere conditiones, quibus conceptio modo breviori, modo longiori tempore indicatur, haec sequuntur phaenomena.

---

semen in septimum diem intus permanserit, conceptum jam esse certum."

Mulieres post conceptionem praestantiores, omnia membra et totum corpus pleniora fieri dicuntur. Et ut corpus turgore vitali augetur, ita et animus alacrior, ingenium amplius, affectus amoris tenerrimi reddi feruntur, tanquam tota foeminae natura de summa victoria triumphet. Et profecto tales mutationes notabiles interdum observantur, certe in recens nuptis: si hic autem causa in aliis quaerenda est conditionibus, summopere probabile redditur, mulierem praegnare cum sub aliis rationibus res plane aliter et inversa se habeat, et, ut paulo postea commemorabo, magna turbatio animi, nullis rebus externis inducta, quae brevi tempore conceptionem sequi solet, pro signo multo majoris fidei habenda sit.

Graviditas vim suam in totum corpus exercet, id quod per febrem levem, omni tempore autem per mutatum sanguinis statum cognoscitur. Hic status originem in vitae vigore topice adaucto habet, quo corpus eodem modo, ut per imflammationem partis cujusdam, irritatur. Sanguinis copia fit major, nervorum systema multo mobilius et haud raro alienatum est. Gravidus uterus ipse non solum nexu sympathico cum multis aliis organis jungitur, sed etiam pressione mechanica multa incommoda affert. — Hi effectus graviditatis sunt diversissimi et pro gradu et pro natura et pro combinatione symptomatum et exoriuntur e constitutione gravidae atque e diversa organorum irritabilitate.

Irritatio quaedam ventriculi et dyspepsia a foeminis ipsis primum fere habetur signum, quod

iis spem, fore, ut utero gerant, praebet. Et profecto vomitus, qui matutino tempore intrat, cum indispositione communi alternat et quem ante meridiem nauseae iteratae et deliquia animi sequuntur, est signum graviditatis satis constans et certum. Per diem, aut per noctem pyrosin mulieres patiuntur, et nocte somnus perturbatur, ut fieri solet, si sordes gastricae adsunt. In casibus rarioribus vomitus ille post meridiem apparet et perseverat usque ad periodum motus embryonis, ubi vel mitior fit, vel plane cedit. Foeminae nonnullae neutiquam vomunt, sed tantum levi vel nulla nausea afficiuntur, aliae post mensem quartum sensum irritationis in regione ventriculi aliorumque viscerum accusant; aliae ab omnibus molestiis usque ad finem graviditatis liberae sunt. Secretum vomitu redditum vel mucosum, vel aquosum est et ante vomitum saliva in ore confluit. Si vomitus valde vehemens est et saepe iteratur, etiam bilis ejicitur. Admirandum tamen est, cum nihil magis, quam emetica, abortum moveat, hoc vomitionis genus, etiamsi ad summum gradum evehatur, ita ut nutritioni incommoda afferat, partus praecocis causam quam rarissime sistere. Medicamenta non sunt indicata. Quo vomitu matutino excepto, organa digestionis alio quoque modo sunt laesa. Ventriculus enim partim magnam irritationem patitur, ita ut venter ne levissimam quidem tegumentorum pressionem ferat, partim sensibilitas est adeo diminuta, ut omnis fere appetitus ciborum evanescat; partim morbosum rerum desiderium excitatur, quae ad victum non pertinent, aut certe quovis alio tempore

cum fastidio rejiciebantur, dum cibi, quibus antea summo cum gaudio et magna cum delectatione fruebantur, nunc nec appetuntur, nec tolerantur. Causae non solum in nervorum alienatione, sed quoque in plethora omnium, ergo etiam vasorum intestinalium, praesertim autem in illo maximo nexu sympathico, quem ventriculus cum omnibus fere organis alit, et ultimo tempore in pressione uteri adscendentis mechanica, ponendae sunt. Hinc ille vomitus, singultus, appetitus ciborum fere nullus vel depravatus, immodicus vel irregularis, pica, salivatio molesta, malacia, cardialgia, obstructio alvi, aut diarrhoea.

Mentione adhuc majore dignae sunt gravidarum picae, quae interdum res fastidiosissimas maximeque alienas haud recusant. Prioris saeculi tempore ipsi medici, nunc tantum homines infimae sortis, omni mulieris picae, ne damnum matri aut embryoni, e. g. naevi, re petita recusata, oriatur, indulgendum esse crediderunt. In universum contendi potest, huic alienae appetitus sensibilitati minus favendum, quam repugnandum esse, cum, si libidinibus indulgetur, etiamsi non alia incommoda emergant, cupidines tamen in infinitum augeantur. Si picae illae autem, ut saepe, imo saepissime fit, e plethora vasorum abdominalium et ex acidis viarum primarum originem capiunt, non solum iis concedendum, sed etiam, tanquam irritatio verminosa et sordes gastricae adsint, diaeta magis frigida et alkalina instituenda est. Cupido, clam aliquid, praecipue quod splendet, subducendi aliasque res agendi vetitas, excitari videtur genere maniae, quae etiam

cum aliis phaenomenis, epilepsia etc. durante graviditate observatur, post partum autem sua sponte cedit.

Animi conditio foeminarum mirifice mutatur, ita ut magna tristitia et fastidio multarum rerum, coitus imprimis exercendi, corripiantur, imo appropinquationem mariti, antea dilectissimi, vix tolerare possint; aut e contrario ad magnam et insuetam animi alacritatem et ultra modum ad libidinem coëundi propendeant. Hac nymphomania illae imprimis mulieres laborant, quae ante nuptias vitam castissimam degerunt, quia genitalium irritatio iis est eo major, quo magis insueta. —

Neque horripilationes cum ardore vago variantes, fugaxque faciei rubor desunt, saepe dum altera albescit, altera gena rubescit, formicatio et torpor extremitatum, vertigo, capitis dolores vehementissimi, ptyalismus pertinax, intrant; dentes dolent, tamen, ne dentem extrahas, cavendum est, quia interdum statim post illam operationem partus excutitur.

Alvus vel nimis fusa, vel, quod saepius accidit, valde retardata est. Dysuria, Ischuria, incontinentia urinae, quas adhuc infra commemorabimus, observantur. Qualitas quoque lotii chemica alia esse dicitur, cum, auctore Nauchio, gravidarum urina sedimentum lactis substantiae caseosae simile faciat.

Omnia haec phaenomena modo priori, modo posteriori tempore apparent, modo plane desunt. Ut plurimum autem in prima graviditatis parte et magis foeminas, quae sedentariam et mollem vivendi rationem degunt, invadunt, quam rure viven-

tes, quae per totam fere graviditatem non secus ac alio tempore a sole oriente usque ad ejus occasum prompte labores peragunt. Hystericae, quae omnibus hisce affectionibus subjectae sunt, neque raro graviditatis plane expertes, eodem modo illa symptomata prae se ferunt.

Transeamus nunc ad symptomata, quae causam e systemate sanguifero petunt. Ad ea spectantem oblivisci non oportet, foeminas per actiones graviditatis magna sanguinis copia abundare, cum menstruatio impedita sit. Illa enim secretio sanguinea, qua natura certo temporis spatio mulieres a nimia sanguinis plethora liberat, et ita semper ad conceptionem idoneas reddit, quin in illum vehementissimum coëundi fervorem, animalibus tantum dignum, incidant, cessat eo tempore, quo corpus ipsum illa sanguinis abundantia ad novum procreandum organismum utitur. Inde in interna uteri superficie lymphae plasticae exsudatio fit, quae non solum parietes internos obducit, sed etiam thrombo os tincae et aperturas tubarias claudit. Inde illa magna symptomatum cohors, quae sub diversa forma e congestionibus ad varias corporis partes oritur, in primo praesertim graviditatis dimidio, priusquam sanguinis novae circulationi assuefactus est et jam omnis quantitas ad foetum nutriendum consumitur.

Cessatio menstruationis igitur, e rerum natura ipsa proficiscens, pro signo principali habenda est. Major fides ei adhuc tribuenda foret, nisi multae aliae conditiones fortuitae eadem vi, qua conceptio, hanc mulieris necessariam functionem mutare et retinere possent; quo facto et multa alia phaeno-

mena, graviditati similia ex hac laesa functione oriuntur. Neque plane desunt exempla, ubi foeminis praegnantibus nihilominus catamenia fluunt, et quidem, cum id clauso ore tincae ex utero fieri non possit, collum uteri sanguinem secernit. Etiam casus rarissimi observati sunt, quibus mulieres, inter virginitatem non menstruatae, in matrimonium autem ductae et gravidae factae, catamenia obtinuerint, quibus in casibus torpor quidam, qui tandem per commercium connubiale et per graviditatem frangebatur, deficientium catameniorum fuit causa. Non raro accidit, ut vestigia menstruationis bis vel ter quoque post conceptionem monstrentur.

Ex hac fluxus menstrualis suppressione elucet, cur pulsus non ita multo post conceptionem paulisper acceleratus et cutis calor una sub vesperam imprimis adauctus sit. Serioribus graviditatis mensibus symptomata febrilia interdum vehementissima sunt. Pulsus semper, tempore vespertino autem magis celer, cutis calida et mulier febricitans inquieta. Per noctem non dormit, sed multum jactatur in lectulo. Luce oriente in brevem haud recreantem somnum incidit, quocum non raro sudores locales conjuncti sunt. Tempore matutino nihil invenies, quod febrem indicet, post meridiem febris recurrit, et per noctem eaedem molestiae adsunt.

Si talis status morbosus observatur, lineamenta faciei fiunt acriora et macies interdum magna, tamen mirum videatur, quod sine ulla ratione quietis et valetudinis secundae, quum simul pruritus et

calor intolerabilis genitalium adesse soleat, vires servantur.

Facies saepissime turgescit, oculi fulgent, et acerbissimi nullis remediis cedentes dolores et capitis et dentium, stillicidium sanguineum narium, ex eodem fonte, e congestionibus versus caput, profluunt. Pustulae in fronte aliisque corporis partibus emergunt, aut, si jam antea affuit dispositio, uberius erumpunt. Interdum quoque cutis topice decoloratur et os e. g. flavo aut bruneo circulo circumdatum est; et maculae irregulares hujus coloris in diversis corporis regionibus apparent, naevi vitiliginesque fusciores fiunt recentesque oriuntur et linea alba magis coloratur.

Interdum collum et glandula thyreoidea intumescit, praesertim, si mulieres dispositione ad strumam hereditaria donatae sunt, et in iis regionibus, ubi strumae endemicae inveniuntur, per graviditatem excoli solent, ut in omnibus vitae periodis, in quibus orgasmus augetur.

Quamvis dubitari non possit, quin sympathia inter collum et partes genitales sit magna, et praeter multos alios morbos, jam syphilis hunc connexum intimum probet, tamen antiquiores modum excedebant, putantes, intumescentiam colli post quemque, imprimis autem fertilem coitum, esse tantam, ut per filum collo admotum mensurari queat.

Per congestiones ad pectus satis saepe viscera thoracis patiuntur et palpitatio cordis est molestia usitatissima et maxime excrucians. Adnotandum quoque est, pulsationem arteriarum vehementissimam in superiori parte cavi abdominis a

gravidis non raro pro palpitatione cordis haberi. Recurrit vicissim vel per decursum diei unius, vel noctu, antequam oculi clauduntur, vel intervallis duorum vel trium dierum, et per affectionem animi corporisque minutissimam facile excitatur. Similia in foeminis hystericis et viris hypochondriacis observantur.

Anxietas, dyspnoëa, tussis, haemoptoë ex illa communi causa orgasmi sanguinis versus organa pectoris derivanda sunt.

Mammae initio graviditatis minui quasi videntur, sub mensem tertium tamen tumescere incipiunt, doloribus trahentibus petuntur, et venae areolae pellucidiores redduntur. Papilla elevatur, circulo*) fusco circumdatur et saepe jam ante mensem tertium liquor serosus exprimi potest. Tamen medico practico interdum observationes occurrunt, ubi et virgines et anus, quae iterum iterumque mammas infantibus, seu ad eos demulcendos, seu alia e ratione praebuerunt, primum fluidum serosum, deinde verum lac secreverunt. Immo in scriptis medicis publicis legimus, senem pastorem, qui similibus conditionibus mammas nepotibus dedit, secretione lactis insignivisse. Lac sine graviditate in mammis reperiri posse, vaccae quoque demonstrant, quae

*) F. B. Osiander, Resultate von Beobachtungen an den Brüsten während der Schwangerschaft: „Zuvor rosenrothe Höfe und Warzen schwarzhaariger und gelbblonder Frauenzimmer bekommen eine blasse, schmutzig rothe Farbe, und gelblich rothe Höfe von schwarz und braunhaarigen Frauen verwandeln sich völlig in braune oder schmutzig gelbbraune.“

et per hiemen et per aestatem, saepe quin unquam coierint, lac edunt. Neque tantum vitia organica uteri aut desorganisationes, e. g. polypi, sarcomata, osteosteatomata, sed etiam hysteria et suppressio mensium, imprimis in mammis puellarum, aequales commutationes efficiunt. — Et haemorrhoides sunt frequentissimi graviditatis comites. Cum tamen nostro saeculo morbus sit vulgatissimus, qui e multis aliis causis evadere potest, nullius fere pretii sunt illae congestiones versus anum ad diagnoscendam graviditatem.

Ut quantitas sanguinis major, ita etiam qualitas ac compositio varia est. Plus plastici, majorem copiam fibrinae continens, ad nutritionem aptior fit, quam ob rem morbi nonnulli gravidarum vel in meliorem statum transeunt, vel certe, ut phthisis pulmonum, conquiescunt, post partum autem eo celerius mortem inducunt. Itaque quoque sanguis e vena missus signum probans putatur. Non ita multo post conceptionem sanguis, si venaesectione emittitur, fit tenacior, et tamen differt ab indole, quam in inflammationibus praebet. Sanguini inflammato est superficies crassamenti spissa, densa et colore et tenacitate coreo similis, in centro plus vel minus depressa; in graviditate autem nulla superficiei depressio invenitur, crassamentum mollius, magis ad fuscum vergens, et olei naturae non absimile. Tamen fieri nequit, ut ex hac sanguinis natura certo dirimas, mulierne sit gravida, nec ne. Nam partim foemina praegnans malo locali laborare potest, quod sanguini revera tribuit speciem inflammatoriam, partim fieri potest, ut, si menses suppressi sunt,

simulque irritatio febrilis adjuncta est, sanguis eodem modo se habeat, ut antea in graviditate descripsimus.

Non possum, quin adumbrem adhuc signum, quod nuper tantum a Jaquemin*) medico Gallico et detectum et commendatum est, et quod mihi eo magis arridet, quia nullo gravidarum sensu commixtum, mere objectivum est, et primis jam graviditatis temporibus apparet. Cupreum vaginae colorem in dyscrasia syphilitica, rosaceum in diathesi scrophulosa nemo ignorat. Si foeminae utero gerunt, vagina mox colorem infuscatum et lividum, vel vinaceum obtinere incipit, quem saepius observandi mihi ipsi fuit occasio in nosocomio caritatis, ubi duce Cel. Kluge, praeceptore quam maxime venerando, puellarum publicarum syphilide laborantium explorationes feci. Etiamsi medico practico privato nullum fere affert fructum, tamen maximae est utilitatis signum habere, quod in casibus dubiis et forensibus, dum de omnibus aliis symptomatibus maxime semper ambigitur, judicium de graviditate maturum et certum ferre nos patitur. Proinde hoc signum quoque medici Germanici magis magisque intueantur velim.

Phaenomena, quae ex utero gravido et pressione inde effecta evadunt, ad molestissima pertinent, quia ne symptomatica quidem curatione levari queunt. Tamen quoque fallacia sunt, quia multae aliae causae, retentio urinae, organisationes praeternaturales, polypi, similia procreant.

*) Parent-Duchatelet: Ueber die Sittenverderbniss des weiblichen Geschlechts zu Paris. Band 1. Seite 97.

Pedes cruraque non raro intumescentiis hydropicis occupantur et interdum labia ipsa pudendi iis premuntur. Uteri expansioni tumor non semper respondet. Nam foeminae, quarum uterus liquore amnii valde impletus est, aut quae gemellos gerunt, saepe, ut jam Puzos adnotat, parco tantum pedum oedemate infestantur. Qui autem credat, oedema solum majori uteri volumini imputandum esse, valde errat; cum toto enim graviditatis processu illud conjunctum esse, perspicuum fit, cum eveniat, ut et artus inferiores et superiores et totum corpus intumescant.

Obstructio alvi ut plurimum in graviditate occurrit et a diversis causis derivanda est; primum quia uterus praegnans rectum premit, deinde etiam, quia actione systematis uterini aucta motus intetinorum peristalticus vi antagonistica diminuitur.

Haemorrhoides ex aliis quoque causis exoriri possunt, quam iis, quarum jam mentionem fecimus. Nam uterus non solum vasa pelvis onerat, sed etiam inertia tractus intestinalis vasa haemorrhoidalia segniora reddit.

Et vesica urinaria in affectionum orbem adducitur, mox enim, ut intestina, segnior fit, ita ut mulieres lotium per longum temporis spatium retineant, tum autem cum doloribus et copiose emittant; saepius tamen vesica irritatur in regione colli imprimis, et tum quoque urethra afficitur. Incontinentia urinae, praecipue sub finem graviditatis, non insolita est, quia uterus in vesicam incumbens invita muliere urinam propellit, si tussit, vel ridet, vel

celeriter corpus movet, magnam certe copiam lotii retinere nequit.

Icterus gravidarum e statu tractus intestinalis oriri et cum apepsia conjunctus esse solet, saepius tamen pressio ductus choledochi, vel status morbosus hepatis ipsius, qui in quaque graviditatis periodo accedere potest, effectum illum edit.

Vomitus, qui posterioribus temporibus observatur, tantum ventriculi irritationi per uterum adscendentem imputari debet. Eodem modo anxietas, dyspnoea, palpitatio cordis et syncope intrant, dum uterus, semper majus spatium petens, intestina versus diaphragma et cavum thoracis propellit. Omnia illa phaenomena, ex hac causa orientia, tantum sub finem graviditatis animadverti, nemo dubitabit.

Si foeminae adhuc dubitant, an praegnent nec ne, dimidium graviditatis exspectare amant. Nam hoc tempore foetus utero inclusi motus sentitur, et una interdum guttae sanguinis nonnullae e vagina effluunt. Embryonem ab hoc momento animatum esse, vulgus falso opinatur. Motus ille foetalis initio tantum in regione pelvis inferiore, et quidem leviter tantum obscureque animadvertitur, pedetentim autem distinctior redditur. Saepe propter nimiam liquoris amnii copiam, foetus debilitatem, matris sensibilitatem diminutam, fere nulli observantur motus, aliis in casibus, praecipue apud primiparas, serius sentiuntur. Haud raro quoque fit, ut mulieres flatus pro motu infantis habeant, praecipue si nondum pepererunt et prolem edendi desiderio tenentur. Tamen sensatio flatuum non uno loco circumscribitur, sed saepe loca abdominis

tenet, ubi foetus motus sentiri nequeunt. Majoris ponderis isti motus censendi sunt, si a medici explorantis manu sentiuntur, attamen hoc quoque in casu cautio adhibenda est.

Signum, quod omnem dubitationem elevat, pro dolor! tantum tribus ultimis graviditatis mensibus, ubi motus foetales, tactus partium infantis, cetera symptomata, ut plurimum rem illustrant, prostat: auscultatio et directa et indirecta, qua cum strepitus placentae, tum embryonis cordis ictus, centies et vicesies, imo centies et sexagesies intra partem sexagesimam horae micans, auditur.

Magni semper et jure quidem ab antiquissimis temporibus inde aestimata est exploratio externa et interna uteri, quod ad figuram, magnitudinem, situm, quae rationes omnes, aequales periodis formationis embryonis, secundum typum menstruationis quaternis hebdomadibus distincte variant. Examinemus nunc vicissitudines uteri per singulos menses.

Primis quatuor hebdomadibus uterus, qui aetate infantili cylindricus, tempore, quo virgines menstruatione purgantur, triangularis redditur, nunc ovalem induit formam, parietes intumescunt, ligamenta uteri lata tenuiora fiunt, tubae Fallopii rectiorem decursum ostendunt, plicae semilunares Douglasii sensim sensimque evanescere incipiunt, collum uteri mollius et crassius, labium anterius et posterius aequali fere longitudine insigniuntur, simulque rima transversalis in formam rotundam mutatur. Labia pudendi majora et minora humescunt, turgescunt, fervescunt, abdomen mollius pleniusque.

Secundo mense abdomen *) magis complanatur, quia uterus magis oneratus in pelvi minore magis absconditur, ita ut portio vaginalis uteri facillime digito prehendatur.

Tertio mense abdomen paulisper increscit, ita ut locum teneat, quem ante conceptionem occupabat, collum uteri elevatius, tumidius, magis ad os sacrum inclinat.

Quarto mense jam ita auctum est incrementum uteri, ut statim, praesertim si mulier supina cubat, graviditatem possis videre, portio vaginalis est mollior et magis adhuc elevata.

Mense quinto fundus uteri umbilicum inter et symphysin ossium pubis percipitur, portio vaginalis tumefacta, paulo ad latus sinistrum vergens, difficillime tantum digito attingitur.

Sexto mense ad umbilicum usque fundus pervenit, rugae inferiores fossae umbilicalis laevigantur, portio vaginalis mollior breviorque quam tempore priori, embryonis caput jam interdum situ pronato, imprimis per fornicem vaginae, percipitur.

Septimo mense tegumenta abdominis expansa adeo tenduntur, ut fundus uteri duos vel tres pollices umbilicum superans et ad hepar spectans, vix sentiatur, fossa omphalica planior. Collum uteri magis magisque explanatur ad uteri ambitum augendum, quam ob rem os uteri externum magis adhuc elevatur et supinatur.

Octavo mense fundus tegumentis abdominis ma-

*) Inde proverbium Gallicum: En ventre plat
[illegible] Enfant elle a

xime tensis mediam umbilicum inter et scrobiculum cordis tenet regionem, fovea umbilicalis plane evanuit, quod symptoma obstetricii termino technico nominant „verstreichen," caput foetale per vaginam bene sentitur, digiti pressioni cedit, circum exomphalon partes infantiles interdum distinguuntur. Vagina amplior et mollior, portio vaginalis tertiam tantum pollicis partem tenet.

Nono mense scrobiculum cordis ipsum attingit fundus, amplificatio uteri ad maximum gradum evehitur, ita ut respiratio maxime impediatur, artus embryonis per abdomen, nisi parietes crasissimi sint, sine difficultate percipiuntur, umbilicus cono similis protrudi incipit, portio vaginalis ad uterum amplificandum plane absumpta est; ita ut os uteri externum et internum vicissim sese attingant.

Decimo tandem mense fundus uteri eandem occupat regionem, in qua mense octavo observabatur, tamen forma abdominis est alia, nunc enim lacunaribus supra uterum relaxatis venter acuminatur. Hic autem uteri descensus saepius jamjam ad errorem seduxit, nam, praecipue si foemina pelvi nimis ampla gaudet, uterus non semper tam alte adscendit. Respirationis angustia priori tempore minor, thorax inter ambulandum supinatus est. Vagina mollis et amplificata, calor et muci secretio adaucta est. Orificium uteri profundum et chartaceum. — Mutationes ventris foeminei graviditatis tempore, praecipue si ordine ante prolato observantur, multum certi praebere possunt, attamen variis ex causis quoque non semper illam rationem sequuntur. Si situs infantis edendi est praeterna-

turalis, i. e. irregularis, si adsunt gemelli, nimia liquoris amnii copia, pelvis vel nimis angusta, vel male conformata, tum aliter tota res se habebit, et vix a medico certum partus tempus praesagiri poterit. Dignitatis eo majoris haecce signa ad ventris incrementum spectantia habere possumus, si mutationibus portionis vaginalis ejusque orificii respondent. —

Haec igitur regularis graviditatis sunt signa, multa, quod attinet ad numerum, parca tantum, quod attinet ad dignitatem, neque ullum fere, quod per se solum judicium certum admittat. Quare necesse est, non singula, sed plura conjuncta contemplemur, ut phaenomena organismi generalia ante oculos habeamus, ut attendamus, quo ordine symptomata appareant. Multo magis dubia adhuc est diagnosis graviditatis complicatae et extrauterinae, in quam materiam penitius inquirere, nobis non proposuimus, sed paucis tantum memoraturi sumus, generatim omnia phaenomena magis turbulenta irregulariaque prodire, in quibusdam autem casibus, e. g. in graviditate interstitiali aut tubaria, nullum signum nos de statu isto periculosissimo certiores reddere, et mortem solam et sectionem lucem nobis suppeditare.

VITA.

Ego Gustavus Eduardus Guilelmus Sieber, natus sum Berolini pridie Calendas Novbr. anni millesimi octingentesimi quarti decimi, patre viro privato, matre Carolina de gente Staberow, quos dilectissimos parentes hucusque mihi incolumes servavit Deus. Fidem confiteor evangelicam. A teneris usque ad annum aetatis decimum tertium a parentibus et in schola publica educatus gymnasium adii Berolinense, quod t. t. duce Beat. Koepke, Theolog. et Philosoph. Doct., floruit. Postquam gymnasium illud per septennium frequentaveram, anno millesimo octingentesimo tricesimo quarto, testimonio maturitatis instructus, ab Ill. Strauss,

t. t. rectore magnifico, civibus universitatis Fridericae Guilelmae assignatus, ab Ill. Busch, t. t. medicorum ordinis gratiosi decano spectabili, medicinae facultati adscriptus sum. Ibi per annum medicis studiis operam dedi et his clarissimorum professorum interfui scholis: — Ill. Schlemm de osteologia; Ill. Link de encyclopaedia scientiarum physicarum et medicarum; Ill. Schultz de botanice theoretica et medica; Cel. Beneke de logice et encyclopaedia philosophiae; Ill. Mitscherlich de physice et chemia experimentali; Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum, Ill. Steffens de hodegetice. In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm duces mihi fuere.

Vere anni millesimi octingentesimi tricesimi quinti ad universitatem Rhenanam me contuli, ubi ab Ill. Naeke, t. t. fascea tenente academicos, in album universitatis et ab Ill. Ern. Bischoff, gratiosi medicorum ordinis t. t. decano maxime spectabili, in numerum medicinae studiosorum in-

scriptus, praelectionibus interfui hisce: Ill Ern. Bischoff de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Fr. Nasse de physiologia et pathologia cerebri nervique sympathici, Ill. Mayer de angiologia et neurologia comparata, Cel. Weber de osteologia et splanchnologia comparata, Ill. Goldfuss de zoologia et zootomia, nec non de historia naturali mammalium, Ill. Noeggerath de mineralogia, Ill. van Calker de psychologia empirica et theoretica.

Autumno ejusdem anni, pulcherrimis Germaniae regionibus perlustratis, Berolinum redii, ubi Ill. Steffens, t. t. fasces academicos tenens, academica me donavit civitate et Ill. Mueller, t. t. decanus facultatis medicae quam maxime spectabilis, medicinae studiosis me adscripsit. Tum audivi: Ill. Mueller de physiologia et anatomia comparata et pathologica, Cel. Eck de pathologia et therapia generali, Cel. Mitscherlich de materia medica, Ill. Horn de morbis syphiliticis et psychicis, Ill. Rust de chirurgia speciali et generali, Ill.

Schultz de diaetetice, Cel. Casper de medicina forensi, de pathologia et therapia speciali et de morbis infantum, Exp. Ascherson de arte fascias rite imponendi, Cel. Kluge de arte obstetricia.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis interfui Beat. Bartels, Cel. Truestedt, Ill. de Graefe, Cel. Kluge, Ill. Rust, Cel. Dieffenbach, Cel. Barez.

Quibus omnibus viris excellentissimis, optime de me meritis, quid debeam, nunquam dies futura e memoria mea delebit.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medicis et examine rigoroso, rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Morbus occultus non existit.
2. Homoeopathia nihil valet nisi per diaetam.
3. Cholera est morbus contagiosus.
4. Non remediis, sed debita multorum cognitione, caremus.
5. Jodum, ol. Jecoris Aselli, Morphium, Chininum et nonnulla alia alkaloida sunt sola remedia nova, quibus utitur Medicina magno cum fructu.
6. Phthisis pulmonum est species scrophulosis.